C

TEMPVS.

Iunio menſe floret.

TEMPERAMENTVM.

Folia & ſemen guſtu uehementer adſtringunt, ita ut in tertio ordine ſiccitatis illud recte recentiores collocent.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Semen tritum in uino potum acetabuli menſura, dyſentericis ac cœliacis auxiliatur. Rubrum fœminarum profluuium ſiſtit.

EX GALENO.

Limonij ſemen utpote auſterum, cœliacis, dyſentericis & ſanguinem ſpuentibus cum uino exhibent. Iuuat & profluuium muliebre. Satis autem eſt acetabuli menſura.

EX PLINIO.

Huius folia ambuſtis utilia, guttantia adſtringunt. Semen acetabuli menſura dyſentericis prodeſt. Aquæ è radice coctę maculas ueſtium eluere dicuntur, itemq; membranarum.

EX RECENTIORIBVS.

Pyrolæ decoctum interna & externa uulnera potum ſanat. Item fiſtulis ac alijs malignis ulceribus medetur.

DE LAMIO▸ CAP▸ CLXXVI▸

NOMINA.

Archangelica.

D

Vrtica mortua quare dicta.

LAMIVM Plinio lib. xxi. cap. xv. & lib. xxij. cap. xiiij. uocatur. Vulgo Vrtica iners & mortua. Sunt qui albam Vrticam nominent, & Archangelicam. Officinis inuſitatum, germanicè Todtneſſel/ oder Taubneſſel dicitur. Iners & mortua cognominata, quod foliis non mordentibus ſit, & mitiſsima.

GENERA.

Vrticæ mortuæ tria inueniuntur genera. Vnum albis, quod propriè Lamium dicitur: alterum luteis, & tertium purpureis floribus conſtat. Nos, quia ſolis floribus differunt, nec in eorum foliis aliquod diſcrimen apparet, una icone omnia tria complexi ſumus genera.

FORMA.

Foliis conſtat Vrticæ pungentis, minoribus, fimbriatis, candidioribus, lanugine nequaquã mordaci, caule quadrangulo, flore albo, luteo, aut purpureo, radice ex interuallis cincinnis capillata. Graui odore tota fragrat. Innoxia eſt & morſu caret. Semen in caulibus per interualla copioſum & nigrum profert.

LOCVS.

Paſsim circa ſemitas & ſepes naſcuntur.

TEMPVS.

Vere primo, Maio potiſsimum menſe, floribus abundant, & tota ferè æſtate.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & ſiccum eſt Lamium, ueluti etiam alia Vrticæ genera, id quod ex guſtu, eiuſq; facultatibus deprehenditur.

VIRES. EX PLINIO.

Medetur cum mica ſalis contuſis incuſsisq;, inuſtis & ſtrumis, tumoribus, podagris, uulneribus. Album habet in medio folio, quod ignibus ſacris medetur. Quidam è noſtris tempore diſcreuere genera. Autumnalis Vrticæ radice alligata in tertianis, ita ut ægri nuncupentur cum eruitur ea radix, & dicatur quæ, & cui, & quorum filio eximatur, liberari morbo tradiderunt. Hoc idem contra quartanas pollere, Iidem

LAMIVM